

tes, plusquam quælibet secta, certum est eam convenire Ecclesiæ Romanæ; hæc enim floret in Europa, in America, in pluribus regnis, provinciis et insulis Orientis; et quamvis non ita nunc, sicut olim, floreat in Africa, et in quibusdam provinciis Asiæ et septentrionalibus Europæ, plures nihilominus adhuc reperiuntur in illis veræ fidei et Ecclesiæ Romanæ cultores, ita ut sit longe magis extensa quam quælibet secta¹. Si loquamur de catholicitate seu universalitate successiva, constat etiam eam convenire Ecclesiæ Romanæ. Hæc enim sola, ab exordio usque nunc, annuntiavit et annuntiat nomen et Evangelium Christi apud exterarum et dissitas nationes, quas in dies sibi aggregat, missis quacumque missionariis, donec tandem in fine mundi compleatur diffusio et universalitas, juxta illud *Matth.*, xxiv, 14: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe. in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio.* Est etiam catholica ratione personarum, quia omnes cujusvis nationis et conditionis ad se vocat et complectitur. Item est catholica ratione doctrinæ: quippe omnes errores damnat, nullum docet. Tandem ita est catholica, ut semper sic vocata fuerit, et sic adhuc vocetur.

Non habent autem catholicitatem sectæ hæreticorum. 1º Non habent ratione loci. Latent quippe in angulo Europæ, in aliis autem mundi partibus, in Asia, in Africa, in America, non sunt, aut si quidam in his exteris nationibus reperiuntur, habentur pro hæreticis. 2º Non ratione personarum; cum enim doceant quemque posse in sua religione salvari, modo saltem non erret circa veritates fundamentales, non omnes ad se vocant. 3º Non habent ratione temporis; ante Lutherum enim et Calvinum non erat eorum ecclesia, et aliquando non defecturam nullum

1. A tempore quo hæc scripta sunt, Ecclesia Romana mirifice in his et aliis regionibus tunc dilatata, Congregatione Romana *de propagatione Fidei* hoc opus apostolicum fovente, et consociatione *Propagationis Fidei*, in Gallia nata, subsidia abundantissima ad hunc finem colligente et ministrante.

habent fundamentum, imo jam defecisse in Gallia et in multis Belgii provinciis, notum est.

4º Ecclesia Romana est Apostolica, 1º ratione doctrinæ ab Apostolis derivatæ. Ecclesiam priorum sæculorum fuisse apostolicam et Apostolorum doctrinam tenuisse, fatentur hæretici. Si qua ergo ab illo tempore mutatio accidit in Ecclesia Romana, et ab hac apostolica doctrina defecerit, ostendi possunt quæ in omni insigni mutatione contingunt: quod et quale sit istud novum dogma, quis mutationis et defectionis author, quo loco, quo tempore cœpit, quos oppugnatores habuit. Hæc nobis ostendant hæretici in Ecclesia Romana. 2º Ecclesia Romana est apostolica ratione successionis non interruptæ pastorum suorum ab Apostolis.

Non sic vero sectæ hæreticorum. Et 1º non habent apostolicitatem ratione doctrinæ ab Apostolis derivatæ, siquidem doceant plures errores quos vetus Ecclesia damnavit, ut fatetur ipse Calvinus, lib. III *Instit.*, c. 4 et 5, *de Satisfactionibus*, de cælibatu sacerdotum, de precibus pro mortuis et de jejuniis quadragesimæ. 2º Non ratione successionis apostolicæ in suis pastoribus. Cui enim successit Lutherus? cui Calvinus? Non denique ratione missionis legitimæ; a quo enim illam habuerunt, aut habent?

[*Obj.* : Protestantes intelligentes quantum ex hac questione periculum suis ecclesiis immineat, veras Ecclesiæ notas negantes, alias excogitarunt, quæ veræ Ecclesiæ nec sunt nec esse possunt, scilicet verbi Dei sinceram prædicationem et legitimam sacramentorum administrationem. Hæc enim, inquit, ex ipsa Ecclesiæ essentia desumptæ sunt; nihil enim Ecclesiæ magis essenziale est, quam vera doctrina et legitimus sacramentorum usus. Ergo.

Resp. Nego conseq. Ad notam enim Ecclesiæ non sufficit ut essentialem ejus characterem exprimat, sed necesse est ut habeat rationem signi. Etenim non agitur hic quæstio de natura et essentia Ecclesiæ, a qua omnes conveniunt quod vera fides et vera sacramenta divelli non possint;

sed inquiruntur notæ ex quibus certo dignosci possit ubi sit vera Ecclesia quæ veram fidem et vera sacramenta habeat. Unde Protestantes cum gloriantur se rem ex intimis visceribus deducere, fucum tantum faciunt, et nihil probant; idem enim est dicere esse veram Ecclesiam, et habere veram doctrinam et legitimum sacramentorum usum.

Inst. Scriptura, in qua veræ fidei et sacramentorum doctrina continetur, notior est Ecclesia, nam Ecclesia per Scripturam probatur. Ergo.

Resp. Nego ant. Scriptura duplici sensu nobis innotescit: 1° quando certum nobis fit Scripturas sacras existere, hunc vel illum librum ad Scripturas pertinere; quando verum et genuinum Scripturæ sensum intelligimus, sed neutrum potest esse notius Ecclesia. Nam Scripturas ab Ecclesia accipimus, quæ veras ab apocryphis, humanas a divinis secernit. Item Scripturæ sensus, ex quo utique vera doctrina et sacramentorum usus eruuntur, non nisi ex Ecclesiæ autoritate determinari potest. — Probatum est aliunde traditionem, qua ad nos pervenit Ecclesiæ doctrina, Scripturis novi Testamenti antiquiorem esse. Unde cum Augustino dicendum est, *contra epist. Fundamenti*, cap. 3: « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret autoritas. »]

ARTICULUS IV

Utrum Ecclesia possit deficere seu errare in fide et moribus?

Ecclesia potest duobus modis considerari: 1° ut congregatio omnium fidelium, tam prælatorum quam subditorum; 2° prout est congregatio prælatorum et doctorum tantum. Hæc dicitur Ecclesia repræsentative et docens, prima dicitur Ecclesia credens. Quæstio est utrum utraque sit infallibilis, prima in credendo, secunda in docendo, seu, ut alii dicunt, utrum Ecclesia habeat infallibilitatem

tam activam quam passivam. Hæretici concedunt infallibilitatem Ecclesiæ invisibili, denegant visibili. At suppositum hujus distinctionis impugnavimus supra, asserendo unam Ecclesiam perpetuo visibilem. Unde

Dico: Ecclesia visibilis non potest deficere seu errare in rebus fidei et morum credendis.

Omissis variis textibus veteris Testamenti, *prob. 1°* clarissime ex novo Testamento. *Matth.*, xvi, 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, utique visibilem in homine visibili fundatam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ibid.*, xxviii, 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Super hæc verba S. Thomas in *Catena* dicit: « Non cum illis solum dicit se futurum esse, sed et cum omnibus qui post illos credunt; non enim usque ad consummationem sæculi Apostoli mansuri erant: sed sicut uni corpori fidelibus loquitur. » *Luc.*, i, 32: *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Alia testimonia proferentur conclusione sequenti.

Prob. 2° Adstipulantur SS. Patres, Chrysostomus, *serm. de Pentecost.* Ambros., *lib. de Salomon.* Hieron., in cap. 4. *Isa. Aug.*, *lib. de Symbolo ad Catechum.*, c. 6, et alii.

Prob. 3° ratione. 1° Extra Ecclesiam non est salus. Ergo, si Ecclesia visibilis deficiat, salus fit impossibilis; quis enim Ecclesiam invisibilem ingredi potest? 2° Si Ecclesia possit deficere, nemo erit securus de sua fide, nec ipsi Lutherani et Calvinistæ; potest enim pariter eorum Ecclesia deficere, et unde sciunt non defecisse, cum defectio, ut dicunt, accidat hominibus non advertentibus? 3° Ut articulo præcedenti arguebamus, si Ecclesia Romana defecerit, ut contendunt hæretici, debent assignare in quo defecerit, quo authore, quo loco, quo tempore; hæc enim omnia notantur in mutatione insigni, qualis hæc foret. Ad hæc autem obmutescunt.

Dico 2°: Ecclesia in suis pastoribus repræsentata, sive per orbem diffusa, sive in unum congregata, errare non potest in rebus fidei et morum proponendis et definiendis.

Prob. ex conclusione præcedenti. Si Ecclesia in suis pastoribus repræsentata, sive per orbem diffusa, sive congregata, posset errare in rebus fidei et morum proponendis et definiendis, sequeretur quod omnes fideles, seu Ecclesia sumpta pro congregatione omnium fidelium, posset errare in credendo et deficere. Falsum consequens, ut probatum est. Ergo et ant. — *Prob.* sequela, quia fideles non credunt, nec credere debent aliud quam quod ipsis proponunt universi pastores; eos enim instituit Christus, ut subditum gregem pascere, regere et docere in rebus fidei et morum. *Act.*, xx, 28: *Vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* *Matth.*, xxviii, 19: *Docete omnes gentes.* Jussit ut omnes illos audirent, et eis obedirent. *Luc.*, x, 16: *Qui vos audit, me audit.* *Matth.*, xviii, 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Unde quæcumque diximus pro infallibilitate Ecclesiæ in credendo, probant ejus infallibilitatem in docendo.

His adde sequentia ex Scripturis. Christus alloquens Apostolos, et in eis eorum successores episcopos, dicit *Joann.*, xiv, 16 et 17: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* *Ibid.*, 26: *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixerit vobis.* Item, *ibid.*, xvi, 13: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et *Apost.*, I *Tim.*, iii, 15: *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei, columna et firmamentum veritatis.*

Dixi 1º: « Ecclesia, sive dispersa, sive congregata; » quia, cum promissiones infallibilitatis sint factæ Ecclesiæ, et eadem sit semper Ecclesia, sive dispersa, sive congregata, in utroque statu gaudet privilegio infallibilitatis. Et certe Christus non intelligebat de Ecclesia congregata in conciliis, cum dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, cum non omnibus diebus, sed rarissime congregentur concilia.*

Dixi 2º: « In rebus fidei et morum. » Quantum ad mores, intelligenda est conclusio de moribus spectantibus

communem omnium fidelium salutem. Unde Ecclesia errare non potest, sive definiendo aliquid esse bonum et honestum quod est malum et inhonestum, et e contra aliquid esse inhonestum et malum quod est bonum et honestum, sive præcipiendo aliquid quod communi fidelium saluti sit noxium, aut prohibendo quod illi est necessarium seu utile. Ratio est 1º quia hoc esset errare in fide; fides enim omne virtuosum et honestum approbat, omne vitiosum et turpe reprobatur. 2º Esset contra sanctitatem Ecclesiæ. 3º Ecclesia male pascere fideles; non enim solius fidei, sed etiam morum doctrina pascuntur fideles.

Quantum vero ad mores spectantes personas privatas et facta particularia, quorum cognitio pendet ex testimonio fallibili hominum, Ecclesia potest errare errore facti, non juris.

[De canonizatione sanctorum et de sensu librorum, seu de factis dogmaticis, sunt speciales et graves difficultates, de quibus infra. Sed etiam

Petes utrum Ecclesia sit infallibilis in approbatione Ordinum religiosorum.

Resp. in approbatione Ordinis religiosi duo intervenire judicia. Primum est, hanc Religionem esse bonam. Evangelio conformem et perfectioni acquirendæ utilem. In hoc judicio errare non potest Ecclesia: alioquin erraret in communi doctrina morum, cum omnibus proponat hanc Religionem ut bonam et viam ad perfectionem. Alterum est judicium, utrum hic et nunc expediat hunc ordinem admittere. Non ita constat hoc judicium esse infallibile, quia non e scientia solum, sed e prudentia pendet. At saltem temeritatis notam non effugeret qui, contra communem Ecclesiæ sensum, hoc judicium erroneum assereret.]

Obj. plura ex veteri Testamento, ex quibus constat Ecclesiam antiquam seu Synagogam aliquando defecisse. Ergo.

Resp. hæc non obstare conclusioni nostræ, quæ est de Ecclesia Christianorum post Christum natum, et non de Ecclesia veteris Testamenti. Et hoc propter duo : 1º quia Ecclesiæ veteris Testamenti non sunt factæ promissiones quales fecit Christus Ecclesiæ novi Testamenti ; non enim illi dictum est : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, neque : *Portæ inferi non prævalent adversus eam*. 2º Quia Ecclesia veteris Testamenti non coarctabatur intra Synagogam ; poterat enim extra illam salus haberi, ut patet de Job, Melchisedech, Ninivitis et aliis. Extra vero Ecclesiam novi Testamenti non potest haberi salus. Unde necesse est ut semper subsistat visibilis. Cæterum non concedimus Ecclesiam veteris Testamenti seu Synagogam periisse, nisi eo tempore quo cessare et in novam transmutari debebat ; non enim erat perpetuo duratura. Unde ad singula quæ objeuntur respondimus in majori nostro Opere.

Inst. 1º : Ipsa etiam Ecclesia novi Testamenti interiiit tempore passionis Christi, cum non solum Synagoga et tota gens judaica, sed etiam ipsi Apostoli a Christo defecerunt, prout prædixerat illis Christus, *Matth.*, xxvi, 31 : *Omnes scandalum patiemini in me in ista nocte*. Ergo.

Resp. 1º conclusionem nostram procedere de Ecclesia Christi formata. Fuit autem formata dumtaxat in die Pentecostes. 2º *Nego* ant. et ejus probationem. Multi enim tempore passionis Christi credebant in ipsum, et quantum ad Apostolos, passi sunt scandalum, non amittendo fidem, sed eam non confitendo exterius ut debebant.

Inst. 2º : Tempore Arianismi, præsertim in concilio Arianensi, Ecclesia defecit. Unde Hieronymus in dialogo *contra Lucifer*. dicit : « Miratus est universus orbis se esse Arianum. » Ergo.

Resp. *Nego* ant. Ad prob., id dixit Hieronymus hyperbolice, ita ut nihil aliud significare voluerit, quam quod plures episcopi et laici inadvertenter et præter intentionem admiserint formulam fidei quæ, licet sonaret pietatem, et attentis circumstantiis catholicum sensum præ se ferret, latenter tamen virus arianum ex intentione suorum

authorum continebat. Unde dicit, « miratus, » quia præter intentionem et inadvertenter id accidit. De hoc argumento late disserui Digress. tertia hist. ad quæst. proœmialem de *Trinit.*, in majori Opere.

ARTICULUS V

Utrum Ecclesia sit supremus iudex controversiarum fidei?

Necessitatem alicujus supremi et infallibilis judicis in rebus fidei, cui omnes morem gerere teneantur, probant ipsæ controversiæ quæ de ipsis rebus fidei quotidie emergunt. Res namque fidei sunt abstractæ, sublimes, occultæ ; non omnes sunt capaces examinis et discussionis rerum tam sublimium et inevidentium. Unde, si non sit aliquis supremus iudex, cujus autoritate infallibili contineantur homines, nihil erit fixum in religione, erimus perpetuo fluctuantes, omni vento doctrinæ abrepti, disputationes erunt interminabiles, et dum unusquisque in suo sensu abundabit, tot erunt dogmata, quot capita.

Inter hæreticos quidam pro summo iudice assignant ipsam Scripturam sacram, quam volunt esse claram et apertam ; alii assignant afflatum Spiritus sancti unicuique privato, seu ipsam Scripturam secundum hunc privatum spiritum intellectam ; alii, ut Brentius, principes sæculares.

Dico : Supremus et infallibilis controversiarum fidei iudex non est Scriptura sacra, neque spiritus privatus, neque princeps sæcularis, sed Ecclesia.

Hæc conclusio jam constat ex dissert. I tract. de *Fide*, art. 2, ubi ostendimus regulam discernendi revelata, non esse ipsam Scripturam, neque spiritum privatum, sed Ecclesiam, et ex dissert. I hujus tract., art. 3, ubi probavimus sensum Scripturæ esse obscurum, et neque Scripturam ipsam neque spiritum privatum, sed Ecclesiam illius esse iudicem ; sed quia hæc quæstio est summi momenti, instaurantur rationes jam datæ.

Prob. prima pars. 1º In Scriptura duo sunt, littera et

sensus. Circa litteram plurimæ sunt controversiæ; an ea quam habemus sit verum Dei verbum? an sit conformis suo autographo? an hi vel isti libri sint canonici, vel non? Lutherus rejicit Epistolam ad Hebræos, Epistolam S. Jacobi et Apocalypsim; has Calvinus admittit. Quis dirimet controversiam? Non ipsa Scriptura; nullibi enim dicitur hos libros esse vel non esse canonicos, et quamvis diceret, non teneremur credere, nisi aliunde prius constet esse canonicam. Circa sensum, Scriptura in varios et contrarios sensus trahitur, de iisque sunt præcipuæ controversiæ. Inter alias celebris est de sensu horum verborum: *Hoc est corpus meum*. Calvinistæ intelligunt in sensu figurato, Lutherani et Catholici in sensu litterali. Quis inter illos erit judex? Non ipsa Scriptura, quæ est objectum et materia controversiæ. Ergo quærendus est alius judex, alioquin disputabitur usque ad finem mundi. Dicat Calvinista, Lutheranum male intelligere; idem reget Lutheranus Calvinistæ.

Confir. Judex alicujus controversiæ debet partes litigantes audire, pronuntiare sententiam et posse partes compellere ad acquiescendum sententiæ; alias frustraneum esset iudicium. Hæc autem præstare non potest Scriptura. Ergo.

Prob. secunda pars. 1º Judex in aliqua causa debet esse publicus, partibus litigantibus notus, eas audire, ab ipsis audiri et habere autoritatem illas compellendi ut stent iudicio; alioquin nihil proderit. Atqui ista non competunt spiritui privato cujusque, ut patet. Ergo.

2º Judex in aliqua controversia debet esse unus, non varius, non incertus, non sibi contrarius. Atqui spiritus privatus est varius in variis, incertus et sæpe sibi contrarius, dictans unum uni et contrarium alteri. Sic dicitur Lutherano hos libros esse canonicos, dicitur Calvinistæ non esse canonicos; dicitur Lutherano hæc verba: *Hoc est corpus meum*, esse intelligenda de præsentia reali, dicitur Calvinistæ esse intelligenda de præsentia spirituali et figurata. Dicit Calvinista Lutherano, eum non duci bono spiritu; idem reponet Lutheranus Calvinistæ. Quis

erit judex? In æternum disputabunt, sicut jam a ducentis annis disputant.

3º In omni republica bene ordinata, est judex publicus qui legem interpretatur et secundum illam omnes controversias dirimit, nec permittitur cuiquam privato legem secundum suum spiritum et libitum interpretari; alias omnia susdeque subverterentur. Id norunt ipsi hæretici. Quanto magis ergo id debet admitti in Ecclesia quam Christus instituit et ordinavit! nisi velis esse tot fidei dogmata, quot capita, eaque ut plurimum sibi contraria, et tolerandas esse omnes hæreses; quo nihil est absurdus. Ergo.

4º Non omnes sunt capaces examinare et discutere res fidei quæ sunt obscuræ, abstractæ et sublimes. Ergo nec eas definire per suum spiritum privatum. Si dicas id haberi ex Spiritu sancto cuique privato inspirante et revelante quid sit fidei vel non: at contra, omnes contendunt se habere hanc inspirationem et revelationem, et tamen non omnes idem sentiunt. Ergo Spiritus sanctus contraria revelat.

Prob. tertia pars. Nullibi in Scriptura legitur Christum constituisse principes sæculares iudices controversiarum fidei; non enim illis, sed Apostolis et eorum successoribus dixit: *Euntes, docete, etc.*, aut quid simile. Est quidem princeps, juxta Apost., *Rom.*, xiii, 4, *Dei minister*, non ut iudicet Ecclesiam, sed ut eam defendat. Unde scribebat celebris Osius Constantio imperatori: «Nec te rebus misceas ecclesiasticis. nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc discas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concedit.»

Quarta pars *sequitur* ex dictis. Necesse est agnoscere regulam vivam et iudicem supremum controversiarum fidei, ut ostendimus initio articuli. Atqui is non est Scriptura sacra, non privatus spiritus, non princeps sæcularis. Ergo Ecclesia; nihil enim aliud est assignabile.

Confir. 1º. Is jure assignatur judex supremus controversiarum, qui est infallibilis in iis definiendis. Atqui talis est Ecclesia, ut probatum est art. præced. Ergo.

Confir. 2^o ex praxi Ecclesiæ tempore Apostolorum. Cum exorta est controversia de legalibus observandis a gentibus conversis, non fuit terminata per solam Scripturam, neque per spiritum privatum, neque per principem sæcularem, sed per Ecclesiam Jerosolymis congregatam. Ergo.

Quæ spectant Scripturæ obscuritatem, quam negant hæretici, require diss. I. hujus tract., art. 3, petit. 4. Quæ obijciunt pro sufficientia Scripturæ soluta habes dissert. præcedenti, art. 2. Quantum ad id quod obijciunt, nos committere circulum vitiosum probando veracitatem infallibilem Ecclesiæ per Scripturam, et veritatem Scripturæ per Ecclesiam, plene dilutum habes tract. de Fide, dissert. I. art. 2.

ARTICULUS VI

Utrum judicium Ecclesiæ de sensu librorum, seu, ut vocant, de factis dogmaticis, sit infallibile?

Movetur hæc quæstio occasione libri Jansenii, episcopi Iprensis, ex quo quinque propositiones extractas summi Pontifices condemnarunt in sensu ab authore intento, id est in sensu naturali et obvio.

[Triplex communiter distinguitur factum: unum personale et particulare; aliud generale, quod spectat totam Ecclesiam; tertium dogmaticum seu doctrinale: an scilicet aliquis liber, aliqua propositio contineat veram vel falsam doctrinam.

Hic itaque agitur de factis dogmaticis seu doctrinalibus, et quæstio est: Utrum judicium Ecclesiæ de doctrina seu sensu alicujus textus vel scripti sit infallibile. Non ergo quæritur an liber cui titulus *Augustinus* sit genuinus Jansenii fœtus, an vero illi suppositus. Hoc factum est mere personale et historicum, de quo non judicat Ecclesia. Neque inquiritur an quinque famosæ propositiones totidem verbis contineantur in libro Jansenii, sed utrum sensus propositionum sit sensus libri. Itaque]

Dico: Judicium Ecclesiæ de sensu librorum, seu, ut vocant, de factis dogmaticis, est infallibile.

Prob. 1^o iisdem Scripturæ testimoniis quibus probavimus infallibilitatem Ecclesiæ in quæstionibus juris. *Matth.*, xvi, 18: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam Ecclesiam.* *Ibid.*, xxxviii, 20: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* *Joann.*, xiv, 16: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* *Ibid.*, xvi, 13: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *Ibid.*, xxi, 16 et 17: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* *I Tim.*, iii, 15: *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.* Atqui hæc subsistere non possunt, si Ecclesia sit fallibilis circa sensum librorum, seu facta dogmatica. Ergo. — *Prob. min.* Pone Ecclesiam revera falli judicando librum hæreticum, puta *Institutiones* Calvini, continere sensum orthodoxum et doctrinam catholicam, et e contra librum catholicum, puta opera Augustini, continere sensum erroneum et doctrinam hæreticam, hocque judicium omnibus fidelibus proponat; fideles credent quæ legent in *Institutionibus* Calvini, Deum esse authorem peccati, ipsum impellere ad peccandum, solam fidem justificare, habenti fidem nulla peccata imputari, bona opera esse inutilia, corpus Christi non esse realiter præsens in Eucharistia: hæc, inquam, et plura alia impia et hæretica in his *Institutionibus* contenta credent Catholici, et e contra quæcumque Augustinus propugnavit contra Manichæos, Donatistas, Pelagianos, etc., credent hæretica; sicque universa Ecclesia inducetur in errorem, portæ inferi prævalebunt adversus eam, non erit amplius columna et firmamentum veritatis, Christus non erit cum ea omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, Spiritus sanctus non docebit illam omnem veritatem et non manebit cum illa in sempiternum, male pascet oves et agnos, præbendo illis pascua venenata pro sanis. Ergo. — His Scripturarum testimoniis concilium V generale probabat suam auctoritatem in condemnandis tribus Capitulis.

Si dicas quod, in hac hypothesisi, Ecclesia non erraret circa dogma, sed circa factum, seu attributionem dogmatis tali vel tali libro, sicque portæ inferi non prævalerent contra illam,

Resp. Esto Ecclesia docens, seu pastores, non errarent circa dogma, verissimum est tamen quod inducerent omnes fideles in errorem circa dogma; non enim fideles possunt cognoscere dogma, nisi in facto, scilicet in libro vel propositione quam Ecclesia approbat vel condemnat. Non ergo sufficit, ad servandum fidei depositum et ad officium pastoris et doctoris, quod Ecclesia docens intendat asserere veritatem, aut proscribere errorem, sed hæc veritas et hic error reperiri debent in his locis quæ Ecclesia indicat; alias male instrueret et male pasceret fideles, qui sensum interiorum pastorum seu Ecclesiæ docentis penetrare non possunt.

Confir. Dogma proponendum fidelibus est inseparabile a facto, et ita cum eo connexum, ut dogma non possit proponi infallibiter, quin factum eadem infallibilitate proponatur. Atqui Ecclesia est infallibilis in proponendo dogmate. Ergo et in facto dogmatico proponendo. — Min. constat ex antecedentibus. — *Prob. maj.* Quamvis dogma possit mente perpendi et examinari sine facto, non potest tamen proponi fidelibus, sive vitandum, sive tenendum, absque facto, id est absque textu propositionis aut libri; quod si sit fallibilis proponendo textum, nemo tenetur illi credere, quia forte errat. Ergo.

Prob. 2º ex usu Ecclesiæ. 1º Concilium Chalcedonense, act. 4, declarat hæreticum quicumque non diceret anathema Eutycheti, et act. 8, dixerat Theodoretum esse hæreticum et foras ejiciendum, eo quod post plures instantias nollet simpliciter et sine explicatione dicere anathema Nestorio, quod tamen tandem præstitit. Hoc factum ad rem præsentem omnino pertinens, late discussum et vindictatum adversus gerras novarum, require in tractatu de *Incarnatione*, digress. 2 ad dissert. IV, sect. 5, in Opere majori.

2º Concilium V generale, Constantinop. II, act. 8, damnavit scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoretii Cyrensis

et Ibæ Edesseni, vulgo tria Capitula, imo ad hoc unum et ad damnationem scriptorum Origenis fuit congregatum. Neque solum damnavit hæc tria Capitula Nestoriana, sed anathematizavit quicumque ea defenderet, aut excusaret, aut non condemnaret.

3º Concilium Lateranense IV declarat hæreticum, qui probaret aut defenderet doctrinam Abbatis Joachim in suo libello de *Trinitate*.

In his et pluribus aliis quæ brevitatis causa omitto, agitur, ut patet, de sensu librorum et authorum, seu de factis dogmaticis, atque in iis definiendis Ecclesia agnoscit suam autoritatem infallibilem; alioquin quomodo posset declarare hæreticos et anathematizare eos qui iudicio incerto et fallibili non acquiescerent? Si vero Ecclesia se in his exhibet infallibilem, ita est indubie; alias erraret in dogmate.

Prob. 3º ab inconvenientibus. Si Ecclesia sit fallibilis in definiendo quis sit sensus scriptorum, seu in factis dogmaticis definiendis, sequitur 1º quod nutet traditio, adeoque authenticitas Scripturæ in traditione fundata. — *Prob. sequela;* quia traditio non habetur nisi ex scriptis conciliorum et SS. Patrum. Ergo, si Ecclesia errare possit in definiendo quis sit sensus illorum scriptorum, nutat traditio in eo fundata. — Explicatur amplius. Quamvis jus sit Scripturam sacram et traditionem esse Verbum Dei, et omnes veritates in eis revelatas esse fide tenendas, est tamen factum dogmaticum quod nostra Vulgata contineat verbum Dei, quod sensus ejus sit conformis sensui autographi, quod sensus SS. Patrum sit talis vel talis, quod conspirent ad formandam traditionem, quod canones conciliorum, puta Nicæni aut Tridentini, contineant dogmata: hæc, inquam, sunt facta dogmatica, in quibus definiendis si errare possit Ecclesia, corrumpit tota Religio.

Sequitur 2º quod nullus hæreticus, nullus liber, quantumvis perniciosus, possit convinci hæreseos, et ut talis damnari. Dicent enim omnes hæretici, Ariani, Nestoriani, Pelagiani, Eutychiani, Lutherani, Calvinistæ, exemplo Jan-

senistarum, se omnes hæreses abhorrere, se nihil nisi Scripturæ consentaneum scripsisse; quod si Ecclesia aliter eorum libros intellexerit, sit quæstio facti, in quo est fallibilis: sicque resurgent omnes hæreses antiquæ, novæ suscitabuntur, absque eo quod Ecclesia possit illis occurrere efficaciter.

Solvuntur objectiones

Obj. 1^o: Christus non promisit infallibilitatem Ecclesiæ, nisi in rebus fidei. Atqui factum dogmaticum, v. g., quod liber Jansenii contineat errores, non est fidei. Ergo. — Prob. min. Nihil est fidei quod non sit revelatum. Atqui non est revelatum quod liber Jansenii contineat errores. Ergo.

Huic argumento, quod magni faciunt et quo pro ense et clypeo utuntur Jansenistæ, duplex est responsio, quarum alterutra ad frangendum eorum contumaciam sufficit.

Prima responsio negat majorem, quæ omnino gratis et absque ullo Scripturæ aut traditionis testimonio asseritur, quin potius contrarium constat ex probationibus conclusionis. Est enim necessaria hæc infallibilitas in factis dogmaticis, etiamsi non sint fidei, nec revelata, ut portæ inferi non prævaleant adversus Ecclesiam, ut Ecclesia permaneat columna et firmamentum veritatis, ut depositum fidei custodiat, bene pascat oves et omnium fidelium salutem provideat. Christus autem non deficit in necessariis suæ Ecclesiæ, cui promisit adesse omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, et eam docere omnem veritatem. Hæc itaque infallibilitas, juxta præsentem responsionem, non ex revelatione, sed ex speciali assistentia Spiritus sancti habetur. Enimvero contendunt Jansenistæ Ecclesiam judicio infallibili pronuntiasse opera Augustini contra Pelagianos et Semi-Pelagianos continere doctrinam catholicam. Estne magis revelatum istud factum, quam factum Jansenii?

Inst. 1^o: Si factum Jansenii non sit revelatum, non est credendum fide divina, sed humana tantum. Atqui quod creditur fide humana tantum, est incertum et errori obnoxium. Ergo.

Resp. factum Jansenii, juxta datam responsionem, non esse credendum neque fide divina neque mere humana, sed fide ecclesiastica, quæ est quasi media inter divinam et humanam, sed firmissima et certissima, utpote innixa speciali assistentia Spiritus sancti, et inde infallibilitate Ecclesiæ in his rebus. Neque dicas hanc assistentiam esse ipsam revelationem; aliud enim est alicui revelare veritates, aliud auxiliari et adesse, ne a veritatibus revelatis deviet. Patet in definitionibus conciliorum, quibus non fiunt novæ revelationes; alioquin Patres forent scriptores sacri, et definitiones eorum forent Scriptura sacra, sed quibus assistit Spiritus sanctus ne errent.

Inferes: Ergo qui negant factum Jansenii, non sunt hæretici.

Resp. ita quibusdam videri, qui censent eos dumtaxat temerarios, inobedientes, rebelles et excommunicatos. Possent tamen dici hæretici, non præcise quia negant factum Jansenii, quod juxta hanc responsionem non est revelatum, sed quia, illud negando, negant infallibilitatem Ecclesiæ in his definiendis; quæ infallibilitas videtur revelata et de fide.

Secunda responsio, omissa maj. *distinguit* min. Factum Jansenii non est revelatum immediate, *conc.*; mediate, *nego*. Solutio explicabitur in sequenti responsione.

Subsumes: Atqui quod est tantum mediate revelatum, non est objectum assensus fidei, sed theologiæ, ut diximus in prima parte. Ergo.

Resp. Dist. subsumptum. Quod est tantum mediate revelatum, ut effectus in causa, vel proprietas in essentia, non est objectum fidei, sed theologiæ, *transeat*; quod est tantum mediate revelatum, ut pars in toto, *nego*. Itaque veritas a Deo revelatur dupliciter: 1^o immediate in se in particulari, ut hæc: « Deus est trinus, Christus est homo; » 2^o mediate in alio, et hoc iterum dupliciter: vel ut effectus in causa, seu proprietas in essentia, ut hæc, v. g.: « Christus est risibilis, » revelata est in hac: « Christus est homo, » ut in sua causa; vel ut pars in suo toto, ut hæc: « David peccavit in Adam, » revelata est in hac universali, ut

pars in toto : « Omnes in Adam peccaverunt. » Esto ea quæ revelantur ut effectus in causa non sint objectum fidei, sed assensus dumtaxat theologici, quia effectus continetur tantum virtualiter in causa. Quæ tamen revelantur ut partes in toto, sunt objectum fidei, quia partes non sunt solum virtualiter in toto, sed formaliter, et veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quæ in illa formaliter continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares quas continet, sunt veræ. Unde, eo ipso quo revelatur formaliter propositio universalis, revelantur etiam formaliter propositiones particulares; sicque ad idem fidei lumen pertinent. Porro revelatum est universaliter, omnem textum, omnem propositionem, omnem librum ab Ecclesia damnatum esse vere damnabilem, id namque comprehenditur sub infallibilitate Ecclesiæ revelata. Ergo et hunc textum hujus propositionis, puta Jansenii.

Itaque, juxta hanc solutionem, factum Jansenii est credendum fide divina, et censendi sunt hæretici qui illud negant, non solum quia inde convincuntur negare infallibilitatem Ecclesiæ, sed etiam quia istud factum est revelatum, sicut revelatum est quinque famosas propositiones continere hæreses, *Institutiones* Calvinii esse hæreticas, canones concilii Tridentini asserere dogmata fidei, textum Vulgatæ esse conformem suo autographo et continere verbum Dei, quis sit sensus Patrum conspirans ad fundandam traditionem : sicut, inquam, hæc sunt fide divina credenda, et hæreticus foret qui ea negaret, ita qui factum Jansenii negat. Atque eo titulo Theodoretus fuit a concilio Chalcedonensi declaratus hæreticus, quia post plures expostulationes volebat dicere sine explicatione anathema Nestorio.

Cæterum, juxta utramque responsionem, constat non sufficere silentium obsequiosum erga factum Jansenii, sed assensu interiori fidei sive divinæ sive ecclesiasticæ esse credendum, atque formulæ Alexandri VII absque exceptione, limitatione aut explicatione esse subscribendum, ut decla-

ravit Clemens XI, bulla *Vineam Domini Sabaoth*, eosque esse perjuros, qui sine isto assensu interiori dictæ formulæ simpliciter subscribunt.

Obj. 2º : Sexta synodus generalis erravit circa sensum epistolarum Honorii, damnando illum ut hæreticum. Et ita docent Bellarminus et Baronius. Ergo.

Resp. Nego ant. Non enim Honorius fuit condemnatus in ea synodo ut hæreticus sententia, sed ut fautor hæreseos, de quo latissime vide tract. *de Incarnat.*, digres. hist. ad dissert. XVIII, sect. 4.

Quantum ad Bellarminum et Baronium : 1º Hoc dixerunt obiter, non discussa ex professo præsentis quæstione, quæ tunc non ventilabatur, præsertim cum ipsi doceant Ecclesiam esse infallibilem in aliis factis non revelatis, ut in canonizatione sanctorum. 2º Errorem circa sensum epistolarum Honorii non tribuunt toti concilio, sed Græcis tantum. 3º Denique, quæcumque fuerit hæc in parte sententia Eminentissimorum scriptorum, nihil cogit nos ut contra invictissimas probationes nostras illis adhæreamus; non enim fuerunt infallibiles.

Obj. 3º : Concilium Chalcedonense approbavit tria famosa Capitula; concilium V, Constantinop. II, illa damnavit. Atqui tria Capitula, scilicet utrum scripta Theodori, Theodreti et Ibæ continerent hæresim arianam, erant facta dogmatica. Ergo.

Resp. 1º Nego ant. pro prima parte. Tria namque Capitula neque approbata neque reprobata fuere in synodo Chalcedonensi, sed ommissa et neglecta, seu proposita, non ut judicialia, sed ut historica tantum. In primis de Theodoro Mopsuesteno, qui obierat, et de ejus scriptis nulla mentio facta est, nisi quod in Epistola Ibæ, quæ fuit recitata et non probata, ut mox dicam, quædam ejus laudes continerentur. De scriptis Theodreti et epistola Ibæ nullum synodus tulit judicium, sed earum personas dumtaxat admisit ad consessum, postquam pœnitentiæ signa dederunt, et anathema dixerunt Nestorio, atque S. Leonis

epistolæ subscripserunt. Synodus V autem damnavit scripta et personam Theodori Mopsuesteni, qui fuerat author Nestorianismi, et in quo eum obiisse constabat ex testimonio suæ ecclesiæ, quæ nomen ejus e sacris dypticis expunxerat. Scripta vero Theodoretæ et Ibæ sub eorum nominibus damnavit, at eorum personas in pace Ecclesiæ defunctas anathemate non confixit. Et sic nulla est inter utramque synodum contradictio.

Inst. 1° : Relecta epistola Ibæ, legati Sedis Apostolicæ dixerunt Ibam orthodoxum, ut habetur in actis. Ergo.

Resp. legatos Sedis Apostolicæ dixisse quidem Ibam orthodoxum, sed non ejus epistolam orthodoxam; quæ duo multum differunt. Unde *dist. ant.* Dixerunt Ibam orthodoxum, attento dogmate epistolæ, *nego*; attenta retractione epistolæ, *conc.* Cum enim objicerent illi quidam monachi, S. Cyrillum ab eo vocatum fuisse hæreticum, respondit: « Donec S. Cyrillus semetipsum interpretatus fuerat, quia orientale concilium eum vocabat hæreticum, et ut hæreticum eum condemnavit, hæreticum eum et ego putabam. Postquam vero adunata sunt ecclesiæ, et sua capitula interpretatus est, omnes eum communicatorem habuimus. » Quibus aperte declarat se revocare quæ dixerat in sua epistola contra S. Cyrillum, et cum aliunde epistolæ S. Leonis ad Flavianum subscripsisset, et anathema dixisset Nestorio, ideo declaratus est orthodoxus.

Inst. 2° : Maximus Antiochenus in concilio Chalcedonensi ipsam Ibæ epistolam agnovit orthodoxam, his verbis: « Orthodoxa est ejus declarata dictatio. » Et Ferrandus, diaconus Carthaginensis, epistola ad Pelagium et Anatolium Ecclesiæ Romanæ diaconos, asserit epistolam Ibæ non potuisse damnari a quinta synodo, absque synodi Chalcedonensis injuria. Ergo.

Resp. ad 1^{am}, in conciliis non unius aut alterius interlocutionem attendi, sed quod ab omnibus aut majori parte definitur, ut observatum est in quinta synodo, act. 6, ad Ferrandum, non mirum quod ita fuerit locutus; fuit enim trium Capitulorum acerrimus defensor. Et insu-

per scripsit ante quintam synodum, cujus autoritas doctoris privati autoritati præponderat.

Resp. 2° ad principale argumentum. Dato tria Capitula fuisse probata in concilio Chalcedonensi, potuerunt nihilominus ad examen revocari et damnari a quinta synodo, absque læsione infallibilitatis Ecclesiæ in his factis; quia conscripta definitione fidei act. 6, absolutum fuit concilium Chalcedonense. Quæ vero postea circa præfatas quorundam episcoporum causas acta sunt, non habent vim concilii, nec a S. Leone sunt probata.

Obj. 4° : Saltem negari non potest, quin Vigilius Papa admodum variaverit in causa trium Capitulorum, eaque modo approbaverit, modo damnaverit. Ergo non est irtractabile judicium Ecclesiæ circa facta dogmatica.

Resp. Vigilium nunquam tria Capitula quoad sensum obivium textuum approbasse, quod est proprie factum dogmaticum, sed tantum variasse circa personas: utrum scilicet persona Theodori defuncti deberet anathematizari, et scripta Theodoretæ et Ibæ sub eorum nominibus deberent damnari. Hæc autem variatio non fuit inconstantia, sed prudentis œconomia.

CONSECTARIUM

De appellatione a constitutione Unigenitus ad concilium generale futurum.

Supposita infallibilitate, non summi Pontificis, a qua nunc abstrahimus, quia eam non agnoscunt ii contra quos hic agimus, sed Ecclesiæ in controversiis fidei et factis dogmaticis definiendis, quam in duobus articulis præcedentibus asseruimus, sequitur non esse licitum appellare a constitutione *Unigenitus* Clementis XI damnanante centum et unam propositiones Paseshii Quesnel, ad futurum concilium generale. Quod hoc brevi et patenti argumento probatur.

Non est licitum appellare a judicio infallibili et irreformabili. Atqui constitutio *Unigenitus* est judicium infalli-